



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Hisp. Decano Toletano.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

favorem, aut aliàs in oratione, vel osculo, vel orando secum, aut etiam comedendo. In primo quidem articulo, cum talis & communicet crimini & participet criminoso, ac per hoc, ratione damnati criminis videatur in eum delinquere qui damnavit, ab eo vel ejus superiore meritò delicti tunc erit absolutio requirenda, cum, juxta canonicas sanctiones, facientes & consentientes par pœna constringat. In secundo verò casu, à suo Episcopo vel proprio sacerdote poterit absolutio beneficii obtinere. Quavis enim & tunc non iudicis sed juris lenientia excommunicato communicans sit ligatus; quia tamen conditor canonum solutionem ejus sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi. Is autem qui juxta primum modum excommunicato communicat, cum juramento debet absolvi. Qui verò juxta secundum modum illi participat, reconciliari poterit sine juratoria cautione. Verum si difficile sit ex aliqua justa causa quòd ad ipsum excommunicatorem absolvendus accedat, concedimus indulgendo ut præstita juxta formam Ecclesiæ cautione quòd excommunicatoris mandato parebit, à suo absolvatur Episcopo, vel proprio sacerdote. Tertius & ultimus inquisitionis articulus videbatur habere non modicum quæstionem: quoniam cum in matrimonii contrahendis, non juris affectus, sed animi destinatio attendatur, unde illum comitatur infamia qui duas simul habet uxores, quod partim ad factum convenit retorqueri, sicut & quod in canone legitur de Presbytero qui non legalibus nuptiis detinetur, eadem censura tales inter bigamos videntur reputandi; licet obviet ex adverso quòd opinioni sit veritas præferenda, & quòd juxta præmissa, qui nullam uxorem habuit, foret bigamus reputandus. quod contingeret, si quis de facto contraheret cum diversis, quibus de jure non posset matrimonialiter copulari. Nos autem in hac quæstione taliter respondemus, quòd cum hujusmodi Clericis, qui, quantum in ipsis fuit, secundas sibi mulieres matrimonialiter junxerunt, tanquam cum bigamis non licet dispensari, licet in veritate bigami non existant, non propter sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto. Datum Laterani XVII. Kal. Junij.

Cap. Nuper. De bigamis non ordinandis.

Cap. Presbyterum. Dist. 28.

HISP. DECANO TOLETANO.

Sacrofancta Romana Ecclesia &c. usque ad verbum suscipimus. Specialiter autem decanatum Toletanæ Ecclesiæ, sicut illum justè possides & quietè, devotioni tuæ auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communicamus, statuentes ut si te in aliquo gravari præsenferis, liberè tibi liceat sedem apostolicam appellare. Decernimus ergo &c. Datum Laterani XVI. Kal. Junij.

Epist. 67. Recipitur sub protectione B. Petri & sedis apostolicæ.

HISP. ARCHIDIACONO de Colera.

Cum à nobis petitur &c. usque ad verbum assensu, archidiaconatum de Colera, quem in Segobien. Ecclesia dilectus filius G. sancti Angeli Diaconus Cardinalis, dum in partibus Hispaniæ legationis fungeret officio, cum omni jure ac pertinentiis suis tuæ tibi contulit intuitu probitatis, sicut illum justè possides & quietè, & in ejusdem Cardinalis authentico continetur, devotioni tuæ auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communicamus. Nulli ergo &c. Datum Laterani XVI. Kal. Junij.

Epist. 68. Confirmatur sibi dictus archidiaconatus.

IOANNI ABBATIS SANCTI Michaelis Ville Majoris, ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus &c. usque ad verbum ordo canonicus, qui secundum Deum & beati Augustini regulam atque institutionem Præmonstraten. fratrum in eodem loco &c. usque ad verbum vocabulis. Locum ipsum in quo dicta Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, videlicet Rodam cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Iohannis, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Cypriani de Patella, cum omnibus pertinentiis suis. & jus quod habetis in Masallos. Ius quod habetis in Ecclesia Alba. Ecclesiam sancti Pauli, cum pertinentiis suis, & Ecclesiam sancti Clementis, cum villa quæ dicitur de Fabar, & Ecclesiam sancti Stephani de Ques. Ecclesiam sanctæ Mariæ de Spinosa, cum pertinentiis suis. Ius quod habetis in villa quæ dicitur Sorita, & jus quod habetis in flumine quod dicitur Pizorga. Sanè laborum vestrorum &c. Liceat quoque vobis &c. Prohibemus

Epist. 69. Recipiuntur sub protectione sedis apostolicæ.